

## Franckesche Stiftungen zu Halle

### Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis  
Epistolas Commentariivs

**Manuzio, Paolo**

**Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX**

**VD18 90852230**

Epistolae IX.

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

[urn:nbn:de:gvn:ha33-1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gvn:ha33-1-219543)

epist. 6. *Eundem in Hispaniam censui: quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset.*

*Hispaniam]* Quam per legatos absens administrabat, acceptam lege Trebonia in quinquennium.

## EPISTOLAE IX.

## ARGVMENTVM.

*Appii litteris, humanissime scriptis, humanissime et ipse respondet: gratulatur de triumphis spe: hortatur ad absolutionem librorum auguralium: petit, ut supplicationem sibi decernendam curet.*

## EXPLANATIO.

*Vix tandem]* Quantopere eas Appii litteras expectaret, hoc principio significat. sero enim nimis videtur fieri, quod vehementer cupimus.

*Dignas Ap. Clodio]* Quasi aliae Appii litterae non tam ipsius voluntate, qui natura ad humanitatem inclinaret, sed ob sermones improborum scriptae sint.

*Vrbanitatem]* Humanitatem illam, quae in vrbani hominibus agnoscitur. epist. 7. *Homo, mea sententia, summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo urbanitatem, quae est virtus, ut Stoici rectissime putant.* Et epist. 8. *Te hominem non solum sapientem, verum etiam (ut nunc loquimur) urbanum.*

*Ex Asia]* Ex ea parte Asiae, quae ad prouinciam Ciliciam non pertinuit.

*Proficisci]* Romam, ut te laudarent.

*Appianorum]* De quibus epist. 7.

*Rescripsi tibi subiratus]* Iracundiae confessio satisfactio quaedam est, praesertim cum adiunxerit, *conscientia meae constantis erga te voluntatis.*

*Liberto meo]* Libertum suum vocat, quod eius uxoris libertus es-

set. id quod ostendit lib. 2. ad Attic. epist. 4. aut duo Philotimi fuerunt, vnus Ciceronis, alter Terentiae libertus.

*Cognoui]* Culpam in alios confert, quo leuius peccasse Appius videatur. nam omnino peccatum aliquod in eo fuit, quod audierit, et crederit. epist. proxima: *sin alii tecum haec loquuntur; tua tamen, quod audis, culpa nonnulla est.*

*Accefferis]* Non enim introierat, quia triumphum sperabat.

*Fide]* Post gratiam reconciliatam.

*Officii tuendis erga te obseruantia]* Tueri, non est defendere, sed colere: ut lib. 13. epist. 68. *Tuebor omni obseruantia patrem tuum.*

*Constantia]* Confirmat illud, quod dixit: *mea ratio in tota amicitia nostra constans et grauis reperietur.* Omnino significat, se, post reconciliatam gratiam, amici officio numquam defuisse: itaque fidem et constantiam suam hic nominauit.

*Parem gratiam]* Operam Appio suam Cicero nauarat in supplicatione impetranda. epist. 13.

*Cum*

*Cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo.*

*Studio et benevolentia]* Addidit benevolentiae nomen; quia multi student, nec tamen diligunt.

*Vel amore potius]* Maior est in amore vis, quam in benevolentia: sicuti plus est amare, quam diligere. lib. 9. epist. 14. *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.* Et lib. 13. epist. 47. *Vt scires, eum non a me diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi haec scribo.* Epist. 1. ad M. Brutum: *L. Clodius, tribunus plebis designatus, valde me diligit, vel, ut ἐμφορμώτερον dicam, valde me amat.* Et ad eundem lib. 8. apud Nonium: *Sic igitur facies, et me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges.*

*Spe]* Ex tuis rebus gestis, et quia iam adeptus erat supplicationem: quae triumphii prerogatiua quadam solebat esse, ut ait Cato lib. 15. epist. 5.

*Facilius consequer]* Exemplo tuo, cum ego quoque Ciliciae praesim; nec mihi, successori tuo, negari posse videatur, quod tibi concessum sit.

*Ἐπιούρειον]* Esset hoc eius hominis, qui Epicuri sententiam sequeretur, id est, qui ad se ipsum omnia referret, et in sua utilitate cuncta poneret. lib. 7. epist. 12.

*Dignitas atque amplitudo]* Amplitudinem et dignitatem coniunxit etiam lib. 1. epist. 5.

*Longi subsellii]* Senatum significat, a quo tarde omnia explicarentur.

*Iudicatio]* In iudicandis rebus, de quibus consultitur. petebatur enim a senatu triumphus: deinde facto senatus consulto lex ad populum ferebatur, ut ei, qui triumphaturus esset, eo tantum die, quo triumpharet, imperium in vrbe esset. alioqui urbem introire cum imperio nemini licebat. itaque de Pontinii triumpho legem a Ser. Galba praetore latam esse, legimus in Dione lib. 39.

*Item unum alterumue diem]* Consuetudinem senatus in protrahendo rerum exitu significat.

*Reliquum promissi]* Scripserat ad Ciceronem Appiius librum unum de iure augurali, reliquos promiserat. epist. 4. et II. et Festus in verbo *Sollistimum*.

*Tale quiddam]* Ob hanc fortasse causam, ut Appium remuneraretur, scripsit Cicero librum de auguriis, quem Carisius nominat.

*Considerandum est]* Si gratus esse volo.

*Quonam genere]* Quo muneris genere: id est, quid ad te scribam, ut te remunerer.

*Videar]* Si, accepto a te munere, nihil remittam.

*Vt supplicatio]* Pro rebus in Amano monte gestis: ex qua victoria imperator appellatus est. quamquam Pindenissum etiam postea cepit. lib. 2. epist. 10. et lib. 15. epist. 4.

*Difficultas nauigandi]* Misit enim litteras ad senatum mense Ianuario. quod lib. 5. ad Attic. epist. 20. satis ostendit.

*In ipsum discessum senatus]* Discedebat senatus Aprili mense, cuius fere dies omnes vel ludis dabantur, vel festi erant, vel comitiales, quibus haberi senatum non licebat.